...is Poloniae

...Czapski Ant. S.J. Compendium titulorum honorum

Pantheon.

COMPENDIUM TITULORUM HONORUM PANTHEON, GLORIÆ UNIVERSUS,

ILLUSTRISSIMI REVERENDISSIMI

ILLUSTRISSIMI EXCELLENTISSIMI

DOMINI DOMINI

Utriusquè Collegii

JUDICES DEPUTATI,

In suo ad Majoris Poloniæ Areopagum ingressu.

Stylô Oratoriô

ADORATI.

A

Collegio Petricoviensi Societatis JESU.

Anno Domini MC.CCXXX.VII.

262 ILLUSTRISSIMUS
EXCELLENTISSIMUS
REVERENDISSIMUS
DOMINUS
D. JOSEPHUS
ŁASZCZ
NOMINATUS SUFFRAGANEUS CHEŁMENSIS, ABBAS, COMMENDATARIUS HEBDOVIENSIS, CANCELLARIUS GNESNENSIS,
TRIBUNALIS REGNI
PRÆSIDENS.
ILLUSTRISSIMUS
EXCELLENTISSIMUS
DOMINUS DOMINUS
VENCESLAUS
RZEWUSKI
PALATINUS PODOLIÆ
CHEŁMENSIS, UŁANOVIENSIS, STULINENSIS, ROMANOVIENSIS &c. &c.
CAPITANEUS.
TRIBUNALIS REGNI
MARESCHALCUS.

COLLEGIUM SPIRITUALE

Ex Capitulo Gnesnensi.

ILLUSTR: REVEREN: DOMINUS D. ALBRACHTUS ADALBERTUS GARCZYNSKI Gnesnensis & Posnaniensis Canonicus. TRIBUNALIS REGNI VICE-PRÆSIDENS.

Ex Capitulo Cracoviensi.

ILLUSTR: REVEREN: DOMINUS D. JOANNES CHOYNACKI Canonicus Cracoviensis.

Ex Capitulo Uladislaviensi.

ILLUSTR: REVEREN: DOMINUS D. DOMINICUS KIEŁCZEWSKI Canonicus Uladislaviensis, Præpositus Volboriensis.

Ex Capitulo Posnaniensi.

ILLUSTR: REVEREN: DOMINUS D. ANTONIUS GRZEGORZEWSKI Canonicus Posnaniensis.

Ex Capitulo Plocensi.

ILLUSTR: REVEREN: DOMINUS D. STANISLAUS PODKANSKI Canonicus Plocensis.

Ex Capitulo Chełmensi.

ILLUSTR: REVEREN: DOMINUS D. AUGUSTINUS ZABOROWSKI Canonicus Chełmensis.

Ex Capitulo Kijoviensi.

ILLUSTR: REVEREN: DOMINUS D. LUCAS ZŁOWOCKI Canonicus Kijoviensis.

COLLEGIUM SÆCULARE.

Ex Ducatu Osviecimensi & Zatoriensi.

ILLUSTR: EXCELLEN: DOMINUS D. ALEXANDER ODROWAZ WILKONSKI Ensifer & Vice-Palatinus Ducatuum Osviecimensis & Zatoriensis.

Ex Palatinatu Siradiensi.

ILLUSTR: EXCELLEN: DOMINUS D. FELICIANUS de Krępá SWIĘCICKI Judex Castrensis Petricoviensis.

Ex Terra Vielunensi.

ILLUSTR: EXCELLEN: DOMINUS D. BOGUSLAUS KOZUCHOWSKI Pincerna Terræ Vielunensis.

Ex Palatinatu Brestensi Cujaviensi.

ILLUSTR: EXCELLEN: DOMINUS D. THADÆUS RUSZKOWSKI Subdapifer Brestensis Cujaviensis.

Illustr: Excellen: Dominus D. STEPHANUS de Glogowá KOSSOWSKI Pincerna Brestensis Cujaviensis.

Ex Terra Chełmensi.

Illustr: Excellen: Dominus D. VINCENTINUS WERESZCZYNSKI Dapifer Crasnostaviensis, Judex Castrensis Chełmensis.

Ex Palatinatu Volhyniæ.

Illustr: Excellen: Dominus D. VICTORINUS CIESZKOWSKI Venator Novogrodensis.

Ex Palatinatu Podoliæ.

Illustr: Excellen: Dominus D. JOSEPHUS SKRZETUSKI Pocillator Premisliensis.

Ex Palatinatu Bełzensi.

Illustr: Excellen: Dominus D. CASIMIRUS GŁOGOWSKI Subdapifer Lubaczoviensis.

Illustr: Excellen: Dominus D. à Lipe LIPSKI Thesaurarius Bełzensis.

Ex Palatinatu Czerniechoviæ.

Illustr: Excellen: Dominus D. JOSEPHUS à Lubienice LUBIENIECKI Pocillator Novogrodensis.

Illustr: Excellen: Dominus D. PETRUS RADZIMINSKI Ensifer Novogrodensis.

ILLUSTRISSIMI & EXCELLENTISSIMI DEPUTATI.

Imus per compendia, dum orbem integrũ Vestra Majestate conspicuũ pedes ambire facimus. Nec ille aliũ luculentiùs habere potest ambitum, quàm ubi queat cõprehendi. Nec vos minori adorari potestis Majestate, quam cum ad Vestras plantas se se convolvat universus. Habet equidẽ in Vobis tot succollandæ ruinæ suæ Alcidas, quot Judices, tot Hercules, quot Justitiæ Arbitros, citra tamen suum casum in Vestri adorationem corruit, ut inde stare fortiùs discat & animosiùs, ceu à suo lapsu robustior Antheus exsiliat. Amat eum ruinæ locum vestros nimirum pedes, à quibus eò assurgit altiùs, quo cadit profundiùs, inde sui altum, ubi honori etiam crescere non inglorium, [ceu ab alto gurgite Titanem ad meridiem eluctari non pudet,] auspicaturus. Perinde prociduum Vobis orbem illum vide-

re erit, ac assurgere, dejici ac sublimari, deprimi ac attolli, quia à pedibus Vestris primam suæ gloriæ plantam accepturus. Cadit igitur ille & à Vestris splendoribus, ab Illustrissimis titulis, à Vice-Regia Majestate, redditur Serenissimus. Vester ille est, quem complestis Virtutibus æquè honoribus ac meritis. Vobis igitur cadit suppedaneus. Restat ad gloriæ illius complementum & Magnitudinem, ut illi imperetis diutissimè.

Itá vovet

Honori & Nominibus Vestris

Devinctissimus

Antonius Czápski Soc: JESU.

HErcule non niſi Stylo attolli poteſtis, quia orbem concluditis. ILLUSTRISSIMI REVERENDISSIMI, ILLUSTRISSIMI EXCELLENTISSIMI JUDICES DEPUTATI. Sed & fatiſcit ſub mole Meritorum Veſtrorum Alcides, adeo enim in Vobis decrevit Univerſus, ut quantus quãtus ſit, ſit vix punctum honoris veſtri. Cum igitur ne Orbis quidem integer laudator eſſe poteſt, quid exigua exambit periodus? Orbem ſupplicem Veſtris habetis pedibus quid incircumſcripta oratio non citra ſui faſtum ad Veſtras tumet plantas? in Vos omnium collimârunt vota, quia non uno eſtis notandi calculo. Majoris æqué ac Minoris Poloniæ compleſtis deſideria, & omnes grandem Areopagum componitis, ſingulis pro Foro Regnum, pro codice Provinciæ & orbis integer ſingulorum excepturus Elogia. Poloniæ pretia, id eſt aureæ libertatis Servatores aurei, gemmæ, primam frontem coronæ, petituræ, ad Aſtreæ libram venitis & exceditis Univerſum. Sacræ Themidis ferrum ſeu Jus gladii accipitis, & Vobis Poloniæ caſtra, Regni Provinciæ, Senatorius æquè ac Equeſtris ordo militat. Jura præſcribitis gentibus, proſcribitis ſcelera, & Joves Patrii detonatis pro Juſtitia, gemmas daturi Veſtri ad coronam. En dimidia Siradienſis Aquila, cum, integra

ſingulorum obſequiis adeſſe nequeat, miniſtrat omnibus. Petricovienſis Ales ſuis famulatur Jovibus ad Juſtitiæ rigorem deſert fulmina, & totus paret orbis. In ſingulis Viceregia adoratur Majeſtas, in omnibus par Regibus timetur poteſtas. Tantum, tantum quantus eſt in Vobis Polonum Orbem concluditis, ut in ſingulis vel Diecæſis tota vel Palatinatus integer, vel terra univerſa conſpiciatur, in omnibus adoretur Polonia. Et iſtud eſt, quod exiguã orationis excedit periodum, quia non-niſi, & ſceptris pro penna, & murice pro ſæpia, & coronis pro perido notari poteſtis, cum ille, quẽ meritis veſtris vobis reddidiſtis Inquilinũ, ad Vos titulorũ confluat univerſus. Adeo ut in Vobis ſuũ Polonus honor habeat Pantheon & Cõpendiũ, è genu, cultu publico adorandũ.

Primus Tu id eſt frons prima Senatûs Areopagi in cultus venis Illuſtriſſime Reverendiſſime JOSEPHE ŁASZCZ Nominate Suffraganee Chełmenſis, Abbas Hebdovienſis, os & ſvada Archipræſulea Gneſnenſis Cancellarie, Tribunalis Regni Præſidens, Fundator Munificentiſſime. Longâ equidem titulorum ſeriè deduceris per faſtos numerantur Avi, ſed totum in nucleum redegi, id eſt in Orbem Tuum, ceu in Pyrrhi annulum Muſarum Senatum, cum Te tanti Nominis Hæredem dixerim. Quantum altiſſimîs honoribûs Domuś Tua placuerit, vel inde colligimus, quod nusquam eam dimiſerint, ſed continuatâ ſeriè in titulorum Faſtigia ŁASZCZII ſucceſſerint. Adultam eſſe neceſſe eſt Familiæ Tuæ gloriam, quæ in ſinu Honorũ plane conſenuit. Rempublicã titulorũ componitis, tot ſcilicet in Majoribus Senatores, tot Supremos Regni Officiales, quot Hæredes Domûs. Etiam à Principe Leone, Princeps eſt. Orbem comprehendit LEO Tuus, id eſt Titulorum Univerſum. Nulli in ornanda ſic Elevandaquè Patria conceſſit Primas, nulli reliquit Principatum. Scilicet pro integritate Lechiæ quivis, murus, in campo Martis LEO, in curia Senator, Toga ſagoquè Prinpceps. Jam à primo Ungue noſcimini Leones, id eſt

Prin-

Principes, ex eo vel maxime, quod in primo etiam Vestri ortu jam rudem adhuc pupillam ad honoris meridiem maturè flectitis, ad quem longa cæteri luce contendunt. Et ita soles nonnisi prima in luce adorantur serenissimi, purpurata ab undis prodit Aurora intra sua conchæ viscera vittîs digna gemma, ac Reges Tituli in cunis expectant Leones vestros. In Te uno Honorum exegisti compendia. Tuo in Nomine jam nisi ad suprema honorum Fastigia crescere non potes. Ultimus es, id est Fulcrum Patrii Honoris, in Te spes erecta rècumbit. Secundô jam sole eoquè secundissimo illuxisti Areopago & nunquam illustriùs soles Areopagi serenasse vidimus quàm in LEONE Tuo, adeò, ut non Julios tantum menses, sed & annos Cæsares efficias. Jam Te Chełmensis CRUX exorat in trinas easqué summas actura, æqué ut Tuis honoribus emineres singulis, ac Orbem patrium compleres totus. Illud primo vestigio trivisti honorum iter, & adhuc excubant & tantum non per effractum murum ad Te contendunt Tituli, nec tantisper admittis? ut major Tibi sit à longinquo reverentia. Serviant itaqué Leones, quia Principem nonnisi mereris cultum, agant excubias pro Colchide, ut Rex Sacrorum dicaris. Faxint superi diceris Princeps! loquentur Principem munificentiam & magni Nominis Hæredem loquentur sanctuaria, cum à Nomine Tuo Illustrissimam, liberalitate sane Principe ŁASZCZOVIAM Lojolanis quoquè ignibus coruscá effecisti. Ad præsens cultibus & Honoribus Tuis devotam, quia jam plurimum obæratam ex voto habes minimam Societatem.

Demùm Magnorum Titulorum vestigiis in Domo tua Illustrissime Excellentissime VENCESLAE RZEWUSKI Palatine Podoliæ, Tribunalis Regni MARESCHALCE damus oscula. Juratus in Crucem Vestram Honor ne injurius vobis esset Illustrissimũ KRZYWDA in Regum tantum foliis non defixit. Decurrebatis honorũ Olympia, & adhuc magnorũ passuum sub-

sistunt vestigia. A sole alii nomen soleæ devenisse dixerint, dixerint sanè, quia tantùm non serenissima. Ivit per omnes Trabeas, emensa titulorum Carpatum, honorum superavit culmina, ac hodie etiam in Palatino stetit monte. In campo martio hostibus ferrea, barbarorum cervicibus fatalis, heroum fixit vestigia. Ducem Illustrissimum Tuum Genitorem dedit, Te antemuralis Christianitatis Cameneci Servatorem. In Te uno plurimorum titulorum decurrit stadia. Primo Radomense Tribunal, & nuper Regni Comitiis, novus Poloniæ Atlas ruentem Patriæ fortunam, honorario fulsisti Scipione. Lubricam spem nuper felicitatis nostræ arripiebamus, at postquàm in emeritas manus voto omnium Scipionem acciperes, postquam in eo titulorū alto figeres soleam, sortem Poloniæ solidasti. Scilicet illam, quam omnium desideria, cunctorum suspiria populorum gemitus exoptabat pacem à Tuo Imperio accepêre, quia imperasti suaviter, suasisti fortiter, ursisti celeriùs composuisti efficacissime. Demum Podoliæ adornavit murex, & cælo illi sol veluti novus illuxisti. Ea honorum serie ad præsentes deducebaris titulos, & sanè dignum illud fuerat, ut qui præfuisti Astreæ Radomensi, qui imperasti Comitiis, etiam præsenti Areopago ferres legem, & tantùm non Rex diceveris. Igitur vicariam Regis circumfer dignitatem, quem in magnis majoribus Tuis, tot honorum Officiorumqué Regni Regem veluti præcedunt Insignia. Breve illud quondam Sidus Themis, jam hodie Augusta, quia à sole Podoliæ diem vobis dicit Serenissimum in Vicerege. Devenies Scipione prodromô ad Titulorum Fastigia, & quem curuli Palatinum, non ita pridem Radomensi, nuper in Regni facie Comitiis hodie in Areopago dederunt Numina MARESCHALLUM, dabunt etiam Supremum Regni.

Ingeminas splendore diem Justitiæ LUNA Tuâ Illustrissime Reverendissime ALBRACHTE ADALBERTE GARCZYNSKI Gnesnensis & Posnaniensis

Canonice, Brzeżinensis Præposite, Tribunalis Regni Vice-Præsidens. Pridem Nomini Tuo d es habueras Illustrissimos, nempé ipsa Poloni cæli Sidera in lucem Vestram GARCZYNII abiere. Fixum honori Tuo Sidus reddet SAGITTA Patria. Dabunt Superi Titulorum augem LUNÆ Tuæ, nempé ut pleno honoris Tui Lumine Orbi Lechico illucescas.

Jus tibi gladii vendicas etiam in Caput LUNÆ Illustrissime Reverendissime JOANNES CHOYNACKI Canonice Cracoviensis. Dignum nempe ultore ferrô Sidus erraticum, quod jam plané Ensibus Tuis ad Nominis & honoris Tui Augem subegisti. Permittes tamen sic exerrasse LUNAM, ut ad honorum Tuorum plenilunium eluctetur, & sic Te parem grandibus astris efficiat.

Ense Patriô in Caput Tuum conspirârunt, Tituli Illustrissime Reverendissime DOMINICE KIEŁCZEWSKI Canonice Vladislaviensis, Præposite Volboriensis. Doctam frontem Tuam, probatamqué tot ingenii acuminibus Romanum nuper vidit Capitolium & dignum vittîs probavit oraculîs. Multô insuper probatum ENSE caput tuum id est tot dedit Polonæ eruditionis Minervas, Patriæ Consos, Reipublicæ Catones, & quod Caput est securitati publicæ heròés dedit. Dat hodie Sacra Themis vinctos Enses Tuo militatura honori, & adhuc meremini, ut tantum Vos in Reipublicæ corpore attollant Tituli, quantum Caput eminet.

Aptâsti SAGITTÆ Tuæ pennas, ut palam sit, quod ad honoris metam ocyor alîs deveniat Domus Tua Illustrissime Reverendissime ANTONI GRZEGORZEWSKI Canonice Posnaniensis. Amant nempé Tituli, & pharetras instruxêre, ut eâdem celeritate Judex ferreô stylô proscriberes scelera, & ad Domus Tuæ geminatam Crucem, id est Archipræsuleam, ceu ad terminum Sagittâ prævolares.

Ad Justitiæ fontes, id est ad trabeatas decurrit undas BROCHOWICZ Tuus Illustrissime Reverendissi-

ſime STANISLAE PODKANSKI Canonice Plocenſis. Neſciit tarda molimina virtus Tua & ideo velocê decurriſti paſſu ad Titulorum Faſtigia, ad quæ longo gradu eluctantur cæteri. Utroquè adhuc cornu indigitat Cervus Tuus te vittîs coronandum.

Citra Athænarum ſuperſtitiones, non ſole tantum ſerenatur Areopagus, verùm etiam Tuis à Sideribus redditur Sereniſſimus. Illuſtriſſime Reverendiſſime AUGUSTINE ZABOROWSKI Chełmenſis Canonice. Auguſtam nempé & à Nomine Tuo, & ab Illuſtriſſimo LELIWA diem accipit Aſtræa, adeò ut nusquam jam exerraturam veritatem credimus, cum ſtellatus æther Tuis irradiavit ſplendoribûs novos dein honori Tuo dies accenſurus.

Tibi quoqué Faber fortuna honoris ſtruxit Templum Illuſtriſſime Reverendiſſime LUCA ZŁOWOCKI Canonice Kijovienſis. Anſam inter tua recenſes Arma, ſed eam, quam in Te habent Tituli, nempè ut ad ſumma Gloriæ attollant Faſtigia, & quæ hodie Juſtitiæ ſtruxêre aram, etiam honori Tuo Sacras Ædes exſtruant.

Quantus, quantus ſis Illuſtriſſime Excellentiſſime ALEXANDER ODROWAZ WILKONSKI Enſifer & Vice-Palatine Ducatuum Oſvicimenſis & Zatorienſis, dicunt te Faſti à Nomine magnum à Tua Eminentia maximum. Tantum te adhuc Polonus attollat honor, quantum SAGITTAM Tuam eminere vidimus, dum hoſtes Patriæ heros ſuperares, ne quidem pilum boni viri relinquendo.

Prævolat honori Tuo Ales avita Illuſtriſſime Excellentiſſime FELICIANE SWIĘCICKI Judex Caſtrenſis Petricovienſis, hodie etiam votô omnium, ſingulorum deſideriô, conſensû unanimî Deputate Siradienſis. Tot ſui honoris prædas habuit ACCIPITER Tuus, quot ſpectatores, & nemo fuerat, qui ad honorum Faſtigia votô non ſequeretur. Exoptant adhuc ſinguli, ut ſola non niſi honoris arbor, id eſt ad præſens

ſce-

sceptra Viceregia, post hac etiam summâ fessam alitem accipiant quieti.

In Tua se serta explicant ROSÆ Patriæ Illustrissime Excellentissime BOGUSLAE KOZUCHOWSKI Pincerna Terræ Vielunensis. Coronatam Rosîs Tuîs accipimus Justitiam, ubi aut Rosinus, aut Hortensius pro verbis Rosas loqueris. Illæ ipsæ in Titulorum Florentiam Tuo se etiam Nomini explicabunt, cum ver honorum accipies succedaneum.

Ne unô orbe concludi videaris Illustrissime Excellentissime THADÆE RUSZKOWSKI Subdapifer Bre stensis Cujaviensis, dimidiô Te signavit ANNULO honor Patrius nempé excedes orbitam Titulorũ, qui SAGITTA Tuâ etiam hostem Patriæ & triumphorum metam excessisti.

Altô majorum Tuorum decurris passu Illustrissime Excellentissime STEPHANE de Głogowa KOSSOWSKI Pincerna Brestensis Cujaviensis. Æquè nempé pronos Tibi habes titulos, ac cursum celerem in patritio DOŁĘGA instruxit SAGITTA, ac ala integra omnî pennâ in Tuam convolat eminentiam. Non segnes scilicet & à Nomine suo KOSSOVII & ab ala Patritia, ut æqué hostes proscriberent ac Sagittâ delerent. Igitur honor patriùs signabit Fastigia Te inscribet fastis.

Tuis ab undis Illustrissime Excellentissime VINCENTINE WERESZCZYNSKI Dapifer Crasnostaviensis, Judex Castrensis Chełmensis, titulorum 'exoriuntur soles Illustrissimi. Purpuratam si aliquando Auroram conspicimus, à Trabeatis Tuis FLUVIIS eum muricem defluxisse credimus. Plenô adhuc honorum alveô nomini Tuo defluent latices, & fons coronatus sic à Tuis Titulis adorabitur.

Non unâ scriberis pennâ, quia alam integram honori porrigis in Patritio DOŁĘGA Illustrissime Excellentissime VICTORINE CIESZKOWSKI Venator Novogrodensis. Fastos implestîs meritîs & ideo aureô non nisi digni notari stylô, SAGITTA pro penna hosti-

bus ſcripſiſtis Leges, & eos proſcripſiſtis, graves exarâſtis ſenſus, quia non absquè cæſura; ſcribet honor acta Judicis, & tanti nominis punctum honoris legent ſeculi.

Sinuatur in arcus honoris Solea Tua Illuſtriſſime Excellentiſſime JOSEPHE SKRZETUSKI Pocillator Premislienſis. Sanè Titulorum ſunt veſtigia, quibûs ampliſſimo veſtræ gloriæ in campo decurritis Poloniam. Hâc fortuna Lechiæ ſolidatur, Leges ſtabiliuntur, hoſtis Sarmatiæ proteritur & adhuc Tibi CRUCE Tuâ inſigniuntur Tituli.

Habet ſua mænia honor Patris in Avito Domus Tuæ GRZYMAŁA Illuſtriſſime Excellentiſſime CASIMIRE GŁOGOWSKI Subdapifer Lubaczovienſis. Vobis nempè honor domeſticus dignitas inquilina nec tamen alii pandit heros invictus aditum, niſi quem virtus martia, ſtrenua libertatis defenſio, ſecuritatis publicæ tuitio inferret portæ. Aget adhuc ad Nominis Tui magnitudinem heros patrius dignas honori Tuo excubias.

Quantus, quantus eſt Lechiæ campus, totus gloriæ & Nominis Tui eſt Illuſtriſſime Excellentiſſime ANTONI à Lipe LIPSKI Theſaurarie Bełzenſis. Legiſtis purpuratos honorum Flores, tantùm non florum Lilia Reges, in ſerta frontem veſtram coronatura, adeò, ut Titulorum non niſi florentiam Raſtrum veſtrum queat legere, Celſiſſimo Principi Severiæ Violas, ut purpuratus Pater diceretur; Tibi roſas leget ut murice depingat humeros.

Quas ab avita ROSA *veſtra* honor accipit gratias, has emeritæ virtuti veſtræ confert Illuſtriſſime Excellentiſſime JOSEPHE à Lubienice LUBIENIECKI Pocillator Novogrodenſis. Nempè ut orbi Polono, ſic titulis delicium primas dignitatum Faſcias, & Tænias non niſi purpuratas meremini. Ibit avidus Nominis veſtri honor meritorum fragrantiam auſcultaturus & revincturus.

Tan-

Tandem Nomini Tuo Illustrissime Excellentissime PETRE RADZIMINSKI Ensifer Novogrodensis in Tua Solea heroicæ virtuti Tuæ honorarios exstruxit arcus honor Sarmatiæ. Habes majorum Tuorum vestigiis tritum ad magna iter, & ut omnî passu fieres singulis beatior, cruces Tibi, non aliam nisi viam Appiam ad Titulos signavêre.

Hæc igitur in vobis honorum agitis compendia Celsissimi Judices, & in singulis Titulorum Pantheon, gloriæ Universus colitur & adoratur. In vestros Titulos, si minùs prolixa, in Elogia peccavit dictio, ad pedes vestros ut aures quæsivit benevolas, sic supplex honori vestro veniam precatur, vestro calcaneo ad sui Fastigium proterenda.